



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 1. Transformat in amatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

## TITULUS XI.

## AMOR.

§. I.

*Transformat in amatum.*

Num. I.

*De bono, & malo, in genere.**Figure, & Symbola*

*Sicut pulverem terræ.* Gen. 13. 16. Isidorus Pelusiota l. 3. ep. 296. notat, posteros Abre hic comparari terræ. Cap. 15. 5. verò stellis cœli: quia ex iis aliqui futuri erant sapientes, & sancti, cœlestes, sublimes, & illustres, instar stellarum cœli: alii verò insipientes, pravi, terrestres. Cornelius hic.

Fœmina communiter mutat suam conditionem, & statum in maritū sui conditionem, & statum: & fit nobilis, si ille est: regina, si is est rex: ducissa, si dux. Voluntas eodem modo suam mutat qualitatem qualitate amoris; cui velut sponsa nubit: si hic carnalis; illa quoque carnalis efficitur: si spiritalis; hic similiter evadit in spiritualem. S. Franciscus Salesius tr. de div. am. l. 1. c. 4.

Anima nostra, ut ait S. Dionysius, assimilatur speculo: nam quoquo versus verteris illud, in illo resplendet. Si enim cœlum versus speculi faciem posueris; cœlum ipsum cœruleum, lucidissimæque lumina ejus, in ipso micabunt. Si verò contra terram versaris; jam lutosas paludes, sterquilinaque, & ceteræ spurcitæ, quibus scætet, in eo cernentur reflexæ. Sic anima, si aciem mentis in superiora elevarit; id in ea resplendet: quod si ad terram respexerit; ejus immunditiâ commaculabitur. S. August. si terram diligis, terra es; si cœlum diligis, cœlum es. Si alicui puellæ, quæ summo opere desiderat speciosa in oculis hominum apparere, diceretur: quod quoties vultus ad sidera erectos haberet; ejus facies solis, ac cœli; pulchritudinem acciperet, aureosque capillos, rubicundas genas, nimioque splendore fulgentem vultum mutaretur. Quod si ad terram oculos, faciemque depresserit, jam illa pulchritudine amissâ, pallida, lutulenta, ac deformis, cupit appareret; quantâ curâ cœlum aspicere fatigaret; nec terram unquam dignaretur cernere; ut species, quam cupit, permaneret. Tibi, ô anima, hæc à Deo sententia innotatur: si ad sidera respicis; si Deum factorem tuum amaveris; pulchrior cunctis astris eris. Quod si in terram vultum depresseris, amoreque terrenò capiaris; deformior cunctis immunditiis apparebis. Respice ergo cœlum &c. Diez. Amor hominis erga Deum.

Num. II.

*Patrum sententiæ.*

*Terram diligis? terra eris. Deum diligis? quid dicam? Deus eris? non audeo dicere ex me: scripturas audiamus: ego dixi, dñs estis, & filii Excelsi omnes.* Pl. 81. 6.

Amando Deum efficitur dñs: ergo amando Mundum dicimur Mundus. Idem ferm. 85. de diversis. Talis quisque, nostrum est qualis est ejus dilectio. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? Deus eris.

*Vivo ego jam non ego; vivis verò in me Christus.* Galat. 2. 20. Idem tr. 2. ep. 2. in ep. 1. Joan. Transimus cum amatis, aut sistimus; & cum eisdem vilescimus, aut chari sumus. S. Cyrillus in apolog. l. 1. c. 9.

Ubi est amor, ibi cor. Amor est vis unitiva: amor est vis transformativa. S. Bonavent. ferm. 24. de S. Maria Magd.

Cor, amando vitia, & peccata, fit quasi terra. Amando temporalia, immoderate tamen contra Deum, fit aqua. Amando amicos carnales pure naturaliter fit aqua. Amando Deum fit ignis. S. Thom. Aqu. Ex cognitione boni, vel mali, per se homo non est bonus, vel malus; sed ex amore boni, vel mali, est homo bonus vel malus. S. Bernardinus t. 3. ferm. de div. Dilect.

Non ex eo, quod agnoscit, sed ex eo, quod amat, divinus fit homo: sicut non qui videt bonum; sed qui vult, fit bonus: & materia, non quia lucem ab igne capiat, sed quia calorem, ignis evadit: Sic animus non ob lucem intelligentiæ, sed ob calorem amoris, divinus fit. Isidorus Clarius l. 1. Orat. 47.

Num. III.

*Amor Dei.**Pone me ut signaculum super cor tuum.*

Cant. 8. 6. Super cor, tanquam super ceram calidam, puram, & mollem, aptam suscipere impressam imaginem. Super cor calidum amore Dei, puram munditiâ sui, mollem pietate proximi. Corpus Christi ut sigillum ponitur: non ut ipsum, quod immutabile est, in nos mutetur; sed nos in imaginem Bonitatis ejus transmutetur. S. Albertus M. ferm. 20. de manducatione Sacram. *Pone me &c.* statim infert: *fortis est, ut mors dilectio.* Imprime te mihi quasi signaculo per amorem fortiter in hærendo: ut à me quasi signaculo formam accipias; & meâ subtili expressione similitudinem trahas. Filibertus Abb. hic. Quanta fuerit impressio amoris, tanta erit & expressio similitudinis. Aloysius Novar. Electa Sacram. l. 3.

Anima nostra facta est per iniquitatem; amando Deum pulchra efficitur. Quomodo erimus pulchri? amando eum, qui semper est pulcher. S. August. tr. 9. in ep. S. Joan.

Num. IV.

*Amor cœlestium.*

*Constebuntur cœli.* Pl. 88. 6. Cœlestium amatores cœlos vocat. Diez Dom. 6. post Epiph. conc. 1.

*Bonum semen; hi sunt filii regni.* Matth. 13. 38. Iusti vocantur hic filii regni, scilicet cœlestis.

coelestis. In phrasi Hebraica : sicut filius hominis significat hominis ministerio deditissimum ; ita filii regni sunt , qui coelestia diligunt , & ad ea consequenda mediis omnibus utuntur. Sicut vice versa filii Saeculi dicuntur , qui Mundo impensè serviunt , & quorum curæ omnes in terrenis sunt. Vide Gen. 4. de filiis Cain , & Enos , diversas eorum occupationes. Diez Dom. 5. Epiph. conc. 1.

*Simile est regnum caelorum.* Matth. 13. 31. Nota : Ecclesiam militantem à Domino regnum caelorum vocari. Solet enim Scriptura homines rerum , quas diligunt , nominibus appellari. Amatores terræ terram vocat Jerem. 22. 39. Amatores Mundi vocat Mundum : *& Mundus eum non cognovit.* Joan. 1. 10. Amatores carnis vocat carnem : *Non permanebit spiritus meus in homine , quia caro est.* Gen. 6. 3. Coelestium amatores coelos vocat : *Consistentur caeli* , id est , *justi mirabilia tua* &c. Pf. 88. 6. Diez Dom. 6. Epiph. conc. 1.

Num. V.

*Amor Mundi , Carnis . &c.*

*Ex Veteri.*

*Quia caro est.* Gen. 6. 3. Ego enim , dicere vult , substantiam ex carne , & animâ , illis dedi ; ipsi autem , quasi solâ carne circumdati , ita virtutes negligunt , & solam carnem sectantur. Et iterum : ubi processerimus , statim audietis , terram eos nominari à divina Scriptura ; eò quòd terrenis cogitationibus absumentur. Dicit enim : *corrupta erat terra coram Deo* , v. 11. S. Chrysol. hic. hom. 23.

*Circuvi terram.* Job. 1. 7. Id est , terrenos , qui terrenas sapiunt , & terrena sola cogitant , & meditantur , diligunt , atque requirunt. Origines hic. Mali , in quantum carnem terrenam sequuntur , rectè terra dicuntur. Quòd per terram homines terreni designentur , satis aperte ostenditur per hoc , quòd Dominus Jobum , quàmvis in terra habitantem , à terra tamen segregare videtur. Nam cum Sathan dixisset , *circuvi terram , & perambulavi eam* , subjungitur : *considerasti servum meum Job ; quòd non sit ei similis in terra ?* v. 8. Frustrâ enim quæsitum videretur , an Job considerasset ? qui terram circuit , & perambulasse se , assererat ; nisi servum suum Job præter terram intelligeret. S. Thom. Aqu. hic.

*Similes illis fiant , qui faciunt ea.* Pf. 113. 8. Amor , adhaesioque animæ ad creaturas coæquat ipsam animam creaturæ : & quò major , & integrior est amor ; eò major aequalitas , ac similitudo , resultat. Amor siquidem similitudinem inter amantem , & amatum , parit. Et propterea dixit David , loquendo cum illis , qui corda sua idolorum amori immerferant : *similes illis fiant.* &c. F. Joannes à Cruce , Ascensus montis Carmeli c. 4.

*Usquequòd parvuli diligitis infantiam ?* Prov. 1. 22. Juxta Lyr. Hugonem Card. fortunæ bona vocat infantiam. *Sapientia foris prædicat in plateis.* &c. v. 20. In plateis

nimirum ad mercatores , & qui lucris student , hos vocat parvulos , & infantes : quasi minuti animi ; qui vilissimis , & minutissimis , rebus ad instar puerorum , contenti sunt. *Cum essem parvulus* &c. 1. Cor. 13. 11. Mare Mundum significat ; quòd tritum apud Patres. *Quis conclusit ostium mare ? quasi pannis infantia.* Job. 38. 8. Mundus quantus quantus esse videtur , ab infanculo fasciis involutò non differt. Magna ista , quia parvi sumus , credimus : multis rebus non ex natura sua , sed ex humilitate nostra , magnitudo est. Seneca. l. 3. moral. quaest. *Moses grandis factus negavit se filium esse filiae Pharaonis ; magis eligens assere cum populo.* Hebr. 11. 24. 25. Pondera ly grandis : quasi exigui animi , puerilique levitatis , fuerit , Ægyptia regna amasse. Factis dixit Moyles cum Apostolo : cum essem parvulus &c. *Juvenilia desideria fuge.* 2. Tim. 2. 22.

*Fenum in bos comedit.* Dan. 4. 30. Terrena diligentes terreni effimur. Nabuchodonosor ob amorem inordinatum instar bestiae fuit. Stella de amore Dei medit. 49.

*Facti sunt abominabiles , si ut ea , quæ dilexerunt.* Osee 9. 10. Talis unusquisque est , quale illud est , quòd diligit , vel in quo confidit. Et hoc adeò verum est ; ut qui Deum diligunt , vel qui Deo confidunt , autoritate Sanctæ Scripturæ , dicantur etiam dii , vel filii Dei. S. Rupertus hic. lib. 4.

*Ex Novo.*

*Potens est Deus de lapidibus istis fabricare filios Abrahæ.* Matth. 3. 9. Non immeritò lapidum nomine gentiles significati sunt , qui lapides coluerunt. S. Gregor. hom. 20. in Ezech. q. d. potens est Deus , eos , qui cultum exhibendo lapidibus lapides facti sunt , iterum in naturam hominum , quam abjecerant , revocare. Pinna in Eccl. Etholog. 13. Non utique lapides irracionales , corporeosque monstrabat Matthæus ; sed homines insensibiles , & duros : qui quia lapides , & ligna , adorabant , impletum est illud Psalms : *similes illis fiant* &c. Origines hom. 22. in Levit. Verè , qui colunt idola , & confidunt in eis , similes sunt diis suis absque sensu , sine ullâ ratione ; in lapides : lignaque , conversi sunt. Intendebat Matthæus his verbis in eos , qui de gentibus aderant , & idololatricò cultu lapides adorabant : qui credentes in Christum facti sunt filii Abrahæ ; cunctam fidem , quam Abraham tenuit , sunt professi. Sim. Cass. l. 3. in Luc. 3.

*Quem Mundus non potest accipere.* Joan. 14. 17. Mundum hic vocat amatores Mundi. Quare autem Paracletum hunc spiritum veritatis non possunt accipere immundi amatores Mundi ? videlicet , quia consolationem suam habent , quia non lugent ; quia de peccatis suis , quorum hic Paracletus remissor est , non dolent. Rupertus l. 11. hic.

*In quo erant omnia quadrupedia &c.* Actor. 10. 12. Cur gentiles indicantur per talia quadrupedia ? quia talia adorabant : idè in eorum similitudinem convertebantur. Sylv. hic q. 13. Quil.

Quisquis, quod seipso est deterius, sequitur; fit & ipse deterior. S. August. de mor. Eccl. Cath. c. 3. Natura amoris est, quod amantem in amatum transformat: unde si vilia diligimus, & cadura; viles, & instabiles, efficiuntur. S. Thom. Aqu. opusc. 14. c. 2.

## §. II.

*Amor presentiam, & possessionem, capit amati; de absentia dolet.*

*Ex Veteri, & Novo.*

*Abque liberis me esse facietis.* Gen. 42. 36. Dolentis vox ista est, inquit Abulenlis: quia dolentes pro re medica faciunt propositiones universales: ut, si pauca mala habeant, dicant, se omnia habere: & si pauca bona eis delint, dicant, sibi omnia deesse. Ita Jacob tres tantum filios absore sentiens, ex vehementia doloris dicit, sibi omnes defuturos: cum tamen aliis novem ei adhuc superessent. Dolor hic oriebatur ex ingenti amore, quo super omnes dolebat Josephum perditum, & Benjamin adducendum. Corn. hic.

*Surrexit David, & abiit: sed & Jonathas ingressus est civitatem.* 1. Reg. 20. 43. Nota, sed & Jonathas. Quasi quid mirum, & incredibile, narretur: quod scilicet Davidem Jonathas enixe dilexit; & tamen cum eo non ierit, sed in urbem solus iverit. q. d. Amabat Jonathas Davidem ut animam suam; & abesse ab illo potuit: hoc erat, corpus vivere sine anima. Ludov. Alvarez in Josepho illustrato illustr. 208.

*Psallam nomini tuo altissime.* Ps. 9. S. Chryso. legit, *canam.* Et addit: hoc solet maxime fieri ab amante: qui enim amat, canunt in amantes cantica; et illos non vident; & per canticum seipos consolantur.

*Non proponebam ante oculos meos rem injustam.* Ps. 100. 3. Ante oculos habemus, quae diliguntur, & in quibus delectatur animus; in his moratur aspectus. A re ergo mala oculos avertere, est, quidquid Deo displicet, non amare. S. Prosper hic.

*Delicia mea esse cum filiis hominum.* Prov. 8. 31. Ubi amor, ibi oculus: nec tantum oculi, sed & aures, & lingua, & cor. Hugo Card. hic. Ubi amor, ibi oculus: libenter aspiciamus, quem multum amamus. Richardus à S. Vict. lib. de Benjam. c. 13. Si jure beatus creditur, qui ubique invenit, quod amat; justè vigor patientiae Aster, hoc est, *beatus*, nominatur; cui undique obviat, quod desiderat. Id. ibidem c. 26.

*Sub umbra illius &c.* Cant. 2. 3. Theodoretus lib. Histor. Relig. c. 3. ait, per hæc verba animam eximium suum profiteri amorem; quippe quæ vel ejus umbram optaverit: quandoquidem amantibus nedum dilecti aspectus; sed & domus, & vestis, & calcei grati sunt; & quidquid vel minimam ejus umbram præferat.

*Abstracti ab eis.* Actor. 21. 1. S. Chryso. & Arias, legant, avulsi. Significat, quod multa. R. P. Spanner Poly. Tom. I.

vi, & violentiâ, separati, tanquam à filiis charissimis. Quam difficulter amantes ab amantibus separantur. Sylveira hic.

*Ex Patribus, & aliis.*

**I**mpatiens est amor, nec lacrymis modus fit; nisi amori detur, quod amatur. S. August. Soliloq. l. 2. c. 1.

Inclinat amor amantem. Idiota de am. div. c. 1.

Viget ipse amor, cum præsto est, quod amatur; & languet, cum abest. Id. ibid.

Amor vita est anima. Quomodo animæ benè esse potest amore languente? semper enim anima languet, quamdiu dilectum presentem non habet. S. Bonav. ferm. 1. de adv.

Subtractio rei, quam amas, augmentatio desiderii est: & quod ardentius desideras, cares ægrius. S. Bernard. ferm. 51. in Cant.

Amor, nisi ad desiderata pervaserit, necat amantem: & ideo vadit, quò dicitur, non quò, debeat. Et quid plura? amor, quod amat, non potest non videre. S. Chrysologus ferm. 147.

Amantibus quid unquam dulcius, quid jucundius, esse potest? quam alterutrò feveri affectu, alterutrò delectari aspectu. Omnia vident; si invicem non vident; horrent omnia, sordent omnia: Richardus à S. Vict. in Ps. 118.

Heliotropium. Lem: *Quis nos separabit?* Rom. 8. 35.

## §. III.

*Amor est beneficus, liberalis.*

*Ex Veteri, Novo, & Patribus.*

*Vestibus Esau valde bonis induit.* Gen. 27. 15. Amoris primas mater Jacobo daverat. Alvarez in Gen. 37. Ex amore majoratum, cum benedictione paterna filio Jacobo procuravit mater Rebecca. Idem.

*Diligebat eum - fecitque illi tunicam polymitam.* Gen. 37. 3. Verus amor manibus probatur: qui verè diligit manus statim aperit. *Dilexit Jonathas Davidem.* 1. Reg. 18. 1. Dilectionem audis? manus attende: *nam expoliavit se.* v. 4. Plebejus amor est sine manibus: regius fert dona. Pastores Jesulo nihil leguntur obtulisse, sed magi. Matth. 2. 11. *Hic est Filius meus dilectus.* Matth. 3. 17. Estne hic amor sine donis? *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Joan. 13. 3. Omnia dedit Filio, quem sper omnia dilexit. Beniamino à Joseph præ cæteris dilecto major venit pars. Gen. 43. 34. Cum Spiritu Sancto, divino amore, venerunt dispersitæ linguæ. Amor dator munerum. Alvarez illustr. 30.

*Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere.* Gen. 44. 1. Hæc est mensura, quam solet facere amor, Oleaster hic.

*Expoliavit se Jonathas tunicâ suâ.* 1. Reg. 18. 4. Viator calore astuans tunicam exuit.

E

Jona-